



L Eo ille antea Bruno Hetzelo dicebatur, atq; patre Hugone, matre Hedue in Alsatia Germaniae ex illustri comitum Dagspurgensium familia natus fuit, ut pleraq; adhuc hodie monumenta testantur, potissimum monialium monasterij S. crucis (quod superiori deum seculo defecit) & alia sacra loca ab eo dicata, id quod Cuspinianus in vita Heinrici 3 scriptum reliquit. Is itaque à parentibus bonis literis & omnibus uirtutibus institutus fuit. sicq; factum ut temporis progressu Argentenensis praeful & postea episcopus Tullensis ordinatus sit. Cum autem Damasus post Clementem 2 Romae esset mortuus, Romani per legationem à Heinrico imperatore eius nominis tertio (qui electionem Pontificis à Romanis ad se receperat) per legationem petierunt, ut ecclesiæ commode & bene prouideret. Heinricus itaq; cōsilio habito Brunonem hunc episcopum Tullensem uitæ sanctimonia celebrem Romam mittit, ut Petri cathedralm gubernaret. Erat enim multa eruditione ornatus, atq; opuscula quædam contra Græcorum errores, atq; de extirpandis Hæresibus hinc inde magno eloquio ad episcopos scripsérat. Cum autem is homo pius & simplex esset atq; habitu pontificali Romam peteret, Hildebrandus astutissimus monachus (qui postea Gregorius 7 fuit) atq; Romani obuiam progresi, persuaserunt ei, ut pontificali ornatu deposito priuatus Romam ingrediceretur. Nam Heinricum Imperatorem nullam creandi Pontificis potestatem à Deo habere, sed quicquid desit ad Clerum populumq; pertinere Romanum. Vox etiam inter eūdum audita; Pacem cogita, & non afflictiones.